



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER PAROECIALES** TEMPLUM DEO DICATUM IN  
HONOREM BEATAE MARIAE VIRGINIS  
IN CAELUM ASSUMPTAE, IN ARCHIDIOECESIS MINSCENSIS  
LATINORUM-MOHILOVIENSIS LATINORUM LOCO VULGO  
BUDSLAW APPELLATO, AD BASILICAE MINORIS GRADUM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter  
paroeciales aedes in cara terra Bielorussica exstructas, sanctuarium illud Deo dicatum in honorem Beatae Mariae  
Virginis in Caelum Assumptae in pago vulgo dicto Budslaw, structurae genere et momento historico, at potissimum  
religionis cultu, dudum eminet. Cum vero Venerabilis Frater Casimirus Świątek, Archiepiscopus Minscensis  
Latinorum–Mohiloviensis Latinorum, postulaverit ab Apostolica Sede, suum communeque cleri et populi christiani votum  
proferens, ut templum, quod diximus, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem, primum in illa archidioecesi, in  
perpetuum eveheretur, Nos huic petitioni libenti animo sumus obsecuti. Congregationis igitur de Cultu Divino et Disciplina  
Sacramentorum consultu deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, harum Litterarum vi, statuimus, ut sacra  
aedes Deo consecrata in honorem Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae in loco vulgo Budslaw appellato ad  
titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine  
insignibus rite competunt. Mandamus praeterea ut ea serventur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris»,  
die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. *Datum Romae,  
apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iunii, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto  
decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana*

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana